



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCLXXXIV. De Victoria fratrum contra Regem Lethovvinorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. CCLXXXIV.

De

*Victoria fratrum contra Regem  
Lethovviorum.*

Anno Domini MCCC.V. circa assumptionem B. Virginis, Fr. Philippus de (a) Bolandia, Advocatus Episcopi Sambienfis, & (b) XI. fratres cum CC. viris, tres villas Regis Lethovviorum incenderunt, captis hominibus & occisis. Medio tempore quo hæc agerentur, Rex quasi omnes potentiores Regni sui habuit circa congregatos in quodam tractatu, seu parlamento, & dum hæc perciperet, cum mille & quingentis viris sequebatur. Fratres autem jam ad talem locum venerant, ubi se sine omni periculo putabant, & depositis armis, dum CC. viri cum uno fratre præcederent, ipsi cum paucis à longè sunt secuti, extunc improvisè irruit in eos Rex cum suis, & in primo congressu frater Bolandus Junior, Nepos dicti Advocati, lanceà cujusdam Rutheni est transfixus, quod videns Advocatus, commota fuerunt viscera sua, & projecto clypeo suo ad dorsum, arreptoque gladio, ambabus manibus occi-

Anno Domini MCCC.V. Clemens Papa V. & Albertus Rex Romanorum imperant.

Hic Papa Clemens in Octava S. Martini, dum post coronationem suam descenderet de Ecclesia S. Justini, in monte apud Lugdunum cecidit murus, & multos oppresit, & Dux Britannia qui equum Papæ duxit, mortuus est. Karolus frater Regis Francia laesus fuit valde. Et ipse Papa passus est. Equus enim ejus cecidit & lapidibus obrutus est, & Corona cecidit de capite ipsius, & in casu perditus fuit lapis pretiosus rubinus, qui stetit in capite Coronæ inestimabilis pretii, que omnia erant indicativa status sui futuri.

Anno Domini MCCC.V. Fratres Domus Teutonice de Livonia Castrum Danemunde in crastino B. Jacobi Apostoli justo emptionis titulo sunt adepti.

*Sigfridus de Feuchtvangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus Sak XVI. Mag. Prov. in Prussia.*

occisori Nepotis sui caput uno ictu amputavit. In hac pugna quatuor fratres scil. duo de Bolandia, frater Bernhardus de Hohenstein, & frater Johannes Monachus, & VI. viri ceciderunt interfecti. Hoc facto, CC. viri, qui processerant, reversi cum magno strepitu & fragore venerunt ad locum certaminis, & tantum hostibus terrorem indiderunt, quod Rex & omnis sui statim visis eis arma rejicerent & in fugam converterentur. Ex tunc fratres percusserunt peccatores in ira sua, & occiderunt XVII. potentiores de Regno Lethovia & de populo etiam multitudinem copiosam.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Strykovijs mox legit Hollandus, mox Bolandus.  
(b) Jerofchinus 9. fratres fuisse dicit.

CAP. CCLXXXV.

De

*De destructione suburbii Castri Garthe.*

Anno Domini MCCCVI. Frater Conradus Magister intelligens relatione veridica, quod de Lethovia & Castro Gartha magnus exercitus versus Poloniam processisset, fratrem Albertum de Indagine, & quosdam alios fratres cum CCCC. viris de Nattangia ad expugnandum Castrum praedictum. Qui dum appropinquarent Castro, tanta intemperies aëris orta est, quod unus alium vix audire potuit, vel videre, & durante adhuc tempestate hac, intraverunt praerubium ipsius Castri, quod tunc magnum fuit & populosum ad modum Civitatis, & captis omni-

*Anno Domini MCCCVI. in Prussia in Castro Kunigsberg incipit Dominus facere miracula propter reliquias S. Hupertii, & multi homines, & canes, & alia jumenta à diversis langvoribus sunt curati.*